

necessaria sint, dicemus. Illic explicata sunt quæ ad perfectissimum Ictum, in Dicasterio aliquo operæ pretium futurum requiruntur; hîc enarrabimus quæ ad ponendum Tyrocinium & prima boni advocati rudimenta pertinent. Quemadmodum & in parte Generali Didactica primò in Idea de ipsis subjectis, Causis, Objectis seu speciebus Habitus usque ad §. 40. in reliquis 4. Paragraphis tanto brevius de ipsa discendi ratione usque ad finem sumus meditati: Ita hoc loco imperfectius, Methodum nempe discendi docendique, prout cujusque intentio est, vel ad summa contendendi vel in secundis tertiisque consistendi, restat sub finem explicemus. Toties autem aliquis sibi ipsi præceptor esse potest, quoties non admonebimus Præceptore indigere, adhibito tamen manuductore & illa jucundius faciliusque discet. Cæterum tria erunt *Curricula* hujus viæ unum *Elementare*, alterum *Exegeticum* tertium *Polemicum*.